

singulis ecclesiis plerumque diliguntur, tum ut uno impedito, alter non desit, tum potissimum ut alicujus a choro absentiam ambo uniformiter testantes, omnem a se removeant suspicionem fraudis (1).

Episcopus, si velit, etiam contrapunctatorem eligere potest (2).

Punctatores convenit esse de gremio cathedralis (3). Canonici præferendi sunt; quocumque autem alio nomine nuncupentur beneficiati, modo sint de gremio, designari possunt, ut scribit Benedictus XIV loco supra allato.

Officium hoc non ad vitam conferendum est, neque uni eidem que, uti juniori canonico, semper attribuendum; sed punctator quotannis a capitulo eligendus est (4). Eligi nequit Sacrista aut aliis, qui ab initio usque ad finem in choro permanere non potest.

III. S. Carolus in concilio provinciali Mediolanensi IV part. 2, juramentum a punctatoribus præstari voluit, hisce verbis conceputum : *Ego N. punctatoris officium, quod suscepi, per hæc sancta Dei Evangelia juratus, sancte promitto ac spondeo, me fideliter et sincere, quantum in me est, executurum. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia; vel si juret super sacras Reliquias, et hæc Sanctorum pignora.* Atque universim loquendo, electos in punctatores, priusquam officium assument, esse jurejurando obstringendos ad illud fideliter obeundum, edixit S. Congregatio Concilii (5). Cumque postea dubitatum fuisse, coram quo prædictum juramentum præstandum esset, Sacra Congregatio præstandum censuit coram illo, a quo punctator esset electus (6).

IV. Punctator diligens et fidelis esse debet, cum circa residenciam et absentiam standum sit libro punctatoris (7).

A principio divini officii usque ad finem persistere debet in choro, et absque ulla jussione punctare ac multicare omnes reos, humanis affectibus remotis (8). Neque putet inane quoddam munus

(1) Bened. XIV ibidem.

(2) Lucidi de visit. SS. Lim, vol. 1, fol. 267, n. 47 et 48.

(3) S. R. C. 10 Sept. 1701, *Cortonen*, 17.

(4) S. C. C. in *Conversana* 4 Dec. 1706, dub. 1; *Salernitana* 27 Sept. 1732, dub. 16; *Nullius Putignani* 6 Maij 1741, dub. 7; et *Leodium*. 12 Maij 1770, dub. 10, et 30 Aug. 1777, dub. 1.

(5) In *Maceraten*, 26 Ap. 1664, dub. 6.

(6) 13 Jul. 1686, *Senen. Officiorum*. Ita Bened. XIV de Syn. loco cit. n. 111.

(7) Scarfantonius lib. 4, tit. 16, n. 17.

(8) Scarfantonius lib. 2, tit. 14, n. 11.

ipsi demandari, eique satisfieri, si quamdam honestatis speciem retineat, quæ nempe in eo posita est, ut aliorum metu, vel negligentia, vel ignavia disciplinam ecclesiæ pedibus conculcat. Ut falsam hanc sententiam deponat, ea percurrat, quæ a S. Carolo Borromæo traduntur : *Punctator studiose exploret, et in libro punctuationum notet omnes, quicumque ii fuerint, qui sacras horas et divina officia non obierint, quique contra, quam his, alisque constitutionibus præscriptum est, in choro quidquam fecerint, qua in re ullius non odio, non amore, non spe, non metu moveatur* (1).

Absentes et egredientes de choro, justam quam habent causam, nisi manifesta et nota fuerit, punctatori indicare tenentur (2).

V. Si punctator a choro absfuerit, dignoris seu antiquioris canonici præsentis partes per se sunt, illum punctare, prout etiam omnes alios absentes et deficientes (3).

§ 7. De hebdomadario.

I. Hebdomadarius hodie dicitur ille, cui per hebdomadam celebrandi divini officii munus incumbit, sive cui incumbit omnium horarum officium sua hebdomada inchoare, collectas canere, et summum sacrum celebrare (4).

Quod ad ejus officium spectat habenda est ratio consuetudinis locorum, cui plurimum tribuendum est (5).

Officium suum regulariter incipit sabbato ad vesperas, quod inclusive ad nonam sequentis sabbati continue exequitur, nisi occurrat officium pontificale vel aliud quod ad dignitatem spectat.

II. Si sit dignitas vel canonicus, et sacris vestibus indutus, sedet in primo stallo, eique debetur præcedentia supra omnes canonicos et dignitates (6), ac etiam supra vicarium generalem (7). Dicitur

(1) Bened. XIV, Institut. 107, § VII.

(2) Scarfantonius lib. 2, tit. XIII, n. 22.

(3) Scarfantonius lib. 2, tit. XIV, n. 20.

(4) Bouix de capitulis p. 1, sect. 2, cap. 19; Molanus de canonicis lib. 2, cap. 15.

(5) Bauldry part. 1, cap. 5, n. 1.

(6) S. R. C. 24 Oct. 1609, *Antverpien*; 26 Jun. 1610, *Arboren*; 31 Mart. 1618, *Capuana*; 6 Dec. 1653, *Majoricen*; 13 Jun. 1682, *Aretina*; 13 Jun. 1682, *Sabinen*; 2 Oct. 1683, *Aretina*; 7 Dec. 1771, *Hydruntina*, 21.

(7) S. R. C. 27 Feb. 1847, *Tranen*.

in primo stallo, quod intelligendum est de primo stallo vel sede ab ea chori parte, quæ hebdomadario illa hebdomada obtigerit, seu ubi chorus ea hebdomada assignatur (1). Quapropter dignitas vel canonicus, qui est celebrans, si ab altera parte sedeat, transire debet ad eam chori partem, a qua officium inchoatur; et ibi præcedentiam habet supra omnes alias dignitates (2). Dignitas autem, quæ ab ea chori parte primum locum habet, sedet immediate post hebdomadarum; et si oporteat, stallum e conspectu hebdomadarii vacuum relinquitur, ut prima et secunda dignitas in stallorum paritate conveniat (3). Sacra R. Congregatio aliquando quidem respondit, hoc tantum locum habere, dum hebdomadarius est paratus (4); et in reliquis casibus, in quibus paratus non est, servandam esse consuetudinem ecclesiæ (5): in pluribus tamen decretis hebdomadario præcedentiam et primam sedem assignavit, vel generaliter (6), vel etiam expresse sive cum paramentis sive absque eis (7), vel etiamsi in completorio aut in matutino, solo habitu canonicali induitus sit (8).

Si hebdomadarius seu celebrans non sit dignitas aut canonicus, sed beneficiatus, capellanus vel alius inferior, hic occupare non potest primum stallum seu sedem in choro supra dignitates et canonicos, sed vel sedet super scannum in cornu epistolæ vel in loco digniori supra reliquos sui ordinis (9).

III. Paramentis sacris non utitur in officio quotidiano, neque unquam ad parvas horas.

Dum est paratus, absente cæremoniarum magistro, dat signum incipiendi matutinum et vesperas (10). Si autem non sit paratus, neque canonicus, sed inferior de clero, ad præfectum chori aut

(1) Cæremoniale Ep. lib. 2, cap. 3, n. 4, et cap. 6, n. 4; S. R. C. 21 Nov. 1626 *Urbis S. Hieron.*; 24 Maij 1659. *Volaterana*.

(2) S. R. C. 24 Jan. 1671, *Majoricen*.

(3) S. R. C. 24 Maij 1659, *Volaterana*; 22 Nov. 1659, et 13 Jul. 1697, *Conversana*.

(4) 22 Aug. 1627, *Casertana*; 5 Aug. 1663, *Triventina* 2.

(5) 24 Oct. 1609, *Antverpien*; 3 Feb. 1720, *Melevitana* 3.

(6) 17 Jun. 1606, *Brundusina*; 7 Sept. 1658, *Ferentini in Campania*; 24 Maij 1659, *Volaterara*; 36 Feb. 1701, *Accerrina*.

(7) 21 Nov. 1626, *Urbis S. Hieron.*; 12 Sept. 1716, *Hortana*.

(8) 24 Jan. 1671 et 3 Mart. 1674, *Majoricen*; 8 Jun. 1709, *Bracharen*. 3.

(9) S. R. C. 24 Maij 1659, *Volaterara*; 3 Aug. 1737, *Capuana*, 4.

(10) S. R. C. 5 Aug. 1663, *Triventina*, 3; 24 Jan. 1665, *Vestanien*.

primam dignitatem spectat intimare seu nutu indicere, ut incipiatur *Domine labia mea vel Deus in adjutorium* (1).

Pertinet ad hebdomadarium, sive canonicum sive beneficiatum privative ad alios, singulis diebus ad matutinum et ad omnes alias horas canonicas, non obstante qualibet consuetudine contraria, dicere *Pater noster*, *Domine labia mea*, *Deus in adjutorium*, *absolutiones*, *benedictiones*, *capitula*, *preces*, *orationes*, *adjutorium*, *confessionem*, in prima *Dies et actus nostros*, et *Dominus nos benedicat*, in completorio *Noctem quietam*, et *Benedicat et custodiat nos*, *Dominus det nobis suam pacem*, et his similia (2). Sacra R. Congregatio quidem rescripsit (3) *servandam consuetudinem* quoad dicenda in prima *Dies et actus nostros*, *Adjutorium nostrum*, in completorio *Noctem quietam*, *Benedicat et custodiat nos*, et in fine horarum *Dominus det nobis*, vel a prima dignitate vel ab hebdomadario; hæc autem consuetudo quæ servanda mandatur, intelligi nequit de particulari cuiusque ecclesiæ consuetudine, tunc enim omnia priora decreta revocata dicenda forent; sed intelligenda est de universalis ecclesiæ consuetudine, juxta quam, conformiter ad decreta S. R. C. et ad rubricas breviarii et cæremonialis, hæc omnia spectant ad hebdomadarium.

Dum hebdomadarius dicit capitulum, orationem aut alia, junctas habet manus, nisi librum tenere debeat. Cum profert *Oremus*, ss. nomen Jesu, aut Sancti cuius fit officium vel commemoratione, caput inclinat (4).

IV. Hebdomadarius diligenter curare debet, ut tantum temporis spatium ad orationem dominicam et reliqua secreto dicenda intersit, quantum non iis solum, qui celeriores sunt, sed aliis quoque tardioribus sufficere possit. Vocem capiat moderatam, non nimis elatam, neque etiam nimis depressam. Orationes recitet, non uno spiritu, sed cum pausa convenienti, uno aut etiam pluribus locis pro orationum diversitate, habita tamen ratione compositionis verborum et subjectæ sententiae. Eadem observat ad capitula et alia.

Cum hebdomadarius preces feriales cantat, ei notandum est,

(1) S. R. C. 22 Mart. 1662, *Sancti Marci XXIV*, q. 1.

(2) S. R. C. 10 Mart. 1640, *Reatina*; 19 Dec. 1654, *Ortonen. Campien*;

7 Aug. 1655, *Brundusina*; 28 Aug. 1655, *Monopolitana*.

(3) 22 Mart. 1662, *Sancti Marci*, XXIV, q. 2.

(4) Vid. *Praxis Pontificalis* tom. I, n. 250.

easdem voce magis depressa per se cantandas non esse, nisi talis sit consuetudo, vel Ordinarius ita statuerit (1), neque per depressionem vocis a *Fa* ad *Re*, etiam ad vesperas et laudes, sed tono ac voce uniformi per simplicem *Fa* (2).

§ 8. *De canonico seu vicario curato.*

Ecclesia cathedralis esse potest : 1º non parochialis, 2º parochialis, et cura parochialis capitulo non unita, et 3º parochialis et cura parochialis capitulo annexa.

I. Si ecclesia cathedralis plebem subditam non habeat, nec parochiam administrat, euidem poenitentiarius confessiones ibidem excipere debet, ibique habetur tabernaculum ss. Sacramenti, et sacra communio fidelibus administratur per canonicum aliumve sacerdotem a capitulo deputatum.

II. Si parochia in ecclesia cathedrali sit erecta, et capitulo non unita, uti in ecclesia nostra Metropolitana Mechlinensi; hujus parochiae rector est parochus proprie dictus, nominandus sicut omnes alii parochi. Talis parochus non dependet a capitulo, sicut capitulo etiam non dependet a parocho. Capitulum igitur et parochus duo sunt magistri et duo domini in eadem domo seu ecclesia. Ecclesia qua cathedralis certe major est, et eatenus præferenda; quatenus autem est parochialis, etiam sua habet jura. Oportet autem omnia ita ordinare et disponere, ut capitulo occasionem et tempus opportunum functionibus parochialibus relinquat, et parochus neque choro neque functionibus capitularibus impedimentum ponat. Curandum omnino est capitulo et parocho, ut omnes se intra jurium et officiorum suorum limites contineant; atque æque cavendum, ne alterius jura usurpentur, neve ab una aut altera parte sive negligentia sive indulgentia contrariae inducantur consuetudines, quæ postea magnas et graves producere solent difficultates (3).

III. Si cura animarum capitulo unita et annexa sit, habitualis cura residet penes capitulo, actualis vero seu illius exercitium

(1) S. R. C. 11 Feb. 1645, *Regien.*

(2) S. R. C. 9 Maij 1739, *Mentis Politiani*, et 22 Mart. 1862, *Sancti Marci*, 8.

(3) Vid. Dec. S. R. C. 5 Jul. 1871, *Drepanen*, et 23 Maij 1873, *Ugenlina*; et resp. S. C. C. 14 Junii 1890 ap. Acta S. Sedis, vol. XXIII, fol. 308 sq.

transferri debet in vicarium juxta concilium Trident. sess. VII, cap. VII de reformat.

Fieri potest, ut cura animarum unita sit certæ præbendæ canonicali, v. g. Archipresbyteratu (1), ita ut, qui illam præbendam habuerit, animarum curam exercere debeat.

In hoc casu vacante Archipresbyteratu seu præbenda canonicali, cui animarum cura annexa est, non licet capitulo, ad quod cura habitualis pertinet, presbyters substituere, qui interim animarum curam exerceant; sed debet Episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiæ, idoneum in ea vicarium constituere; qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur (2).

Si autem cura animarum certæ præbendæ unita non sit, electio et nominatio vicarii curati de jure communi pertinet ad capitulo, approbatio autem et institutio ad Episcopum, uti Bouix longe lateque probat (3); nisi forte in Gallia, Belgio aliisque regionibus, quæ concordato 1801 reguntur, ubi post prædictum concordatum electionem et nominationem vicarii curati a solis Episcopis factam esse constat (4).

IV. Vacante aliqua parochia, ejus cura juxta Concilium Tridentinum per concursum conferenda est. Hæc autem dispositio locum non habet quoad capitulo, cui cura parochialis annexa est, quia, cum capitulo non moriatur, non vacat parochia, cuius est parochus, nec igitur locus unquam datur concursui pro vacante tali parochia

Vicarii eligi et assumi possunt etiam extra capitulo gremium (5). Quicumque vero, sive canonici sive alii, in vicarios curatos eliguntur et nominantur, ab Episcopo examinandi et approbandi sunt (6).

V. Disponit Concilium Tridentinum sess. VII, cap. VII de re-

(1) S. C. C. 2 Jun. 1696, dub. 1, *Isernien Vicarie.*

(2) Conc. Trid. sess. 24 cap. 18 de reformat. S. C. C. 9 Sept. 1786, dub. 2, *Urbevetana*, apud Zamboni tom. 1, *Capitulum eccles.* § II, n. 40.

(3) De capitulis part. 2, c. V, § II.

(4) Bouix ibidem § III.

(5) S. C. C. 19 Jun. 1732, dub. 3 et 4, *Cingulana* apud Zamboni tom. 1, *capitulum eccl.* § II, n. 20.

(6) S. C. C. 25 Aug. 1637, dub. 3, *Vasionen*; 3 Mart. 1668, dub. 4, *Acheruntina et Matheran*; 12 Januari 1726, *Alip. Cur*; 19 Jul. 1732, § 7, *Cingulana*, apud Zamboni *Capitulum eccl.* § II, n. 1; *Vicarius curatus* § V, n. 3, et tom. 4, *Canonici* § II, et *Vicarius curatus* § II.

format. ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, animarum cura laudabiliter exerceatur. Hinc doctores inferunt, ab Episcopi abitrio, habita ratione circumstantiarum, pendere deputationem vicariorum sive perpetuorum sive temporalium. Quinimo juxta Giraldi (1) certum est ex hodierna praxi juxta assertum Benedicti XIV de Syn. lib. XII, cap. 1, n. 2, quod deputari soleant vicarii temporanei, ad nutum amovibiles (2): quamvis tamen, ad occurrentum malis, quæ animarum saluti proveniunt ex operariis ad nutum amovilibus, jure dicatur melius animarum curæ consuli per vicarios perpetuos (3), et ita in recentioribus S. C. C. resolutionibus etiam præscribatur (4).

VI. Cum cura actualis illiusque exercitium transferatur in vicarium, huic competit omne exercitium curæ privative quoad cœteros de capitulo, cum omnibus emolumentis veris parochis competentibus (5), ita quidem ut alii canonici illius exercitio sese immiscere nequeant (6).

Vicarii curati, sive perpetui sive amovibiles, diebus dominicis et festivis missam pro populo celebrare et applicare tenentur; et non sufficit missa conventionalis, quæ a capitulo pro benefactoribus quotidie applicatur (7). Si ipsi vicarii missam conventionalis celebrare debeant, tunc pro missa parochiali alium substituere tenentur (8). Si duo sint vicarii curati ejusdem parochiæ, non uterque, sed alteruter tantum missam pro populo in dominicis et festis applicare tenetur (9).

(1) Expositio juris Pont. p. 2, sect. XXIII.

(2) Pallottini *capitulum* § 2, n. 110.

(3) S. C. C. 24 Maij 1710, dub. 1, *Assisten*; 2 Jan. 1731, § 6 et 7, *Null. seu Mont. Cas*; 20 Dec. 1766, § 28, *And.* apud Zamboni tom. 1, *Capitulum eccl.* § II, n. 4, et tom. IV, *Vicarius curatus*, § II; Bouix de capitulis p. 2, cap. V, § IV.

(4) Acta S. Sedis, vol. XII, 1880, fol. 490-492.

(5) S. C. C. 2 Jun. 1696, dub. 4, *Isernien*. apud Zamboni *Canonici* § 1, n. 15.

(6) S. C. C. 22 Jan. 1764, § 6, *Faven*. apud Zamboni tom. 4, *Canonici* § II.

(7) S. C. C. 13 Ap. 1715, dub. 7, *Amalphitana*; 18 Mart. 1719, dub. 6, *Ferrarien*; 17 Feb. 1731, dub. 2, *Pientina*; 8 et 29 Aug. 1744, dub. 1, *Hortana*; Ap. 1781, § 6, *Nul. Feren*. apud Zamboni tom. 1, *Canonici* § 1, n. 27, 31 et 52; *Capitulum ecclesiast.* § II, n. 5; tom. 4 *Canonici*, § II in fine; Pallottini, *Canonici* § I, n. 166 et seqq.

(8) S. C. C. 19 Aug. 1713, dub. 6, *Balneoregien*, et 16 Jun. 1770, § 9, *Fesul*. apud Zamboni tom. 1, *Canonici* § 1, n. 23 et tom. 4 *Canonici*, § II. Vid. etiam Acta S. Sedis, vol. XXIV, fol. 669.

(9) S. C. C. 19 Aug. 1713, dub. 7, *Balneoregien*, supra cit.

Vicarii curati infra missam parochiale ordinarie concionantur, annuntiant jejunia et festa, publicant matrimonia, decreta, indulgentias aliaque hujusmodi, nisi adsit consuetudo hæc faciendi infra missam conventionalis (1).

VII. Vicarius curatus excusat a choro, et lucratur distributiones, tam ordinarias quam extraordinarias, dum fidelium excipit confessiones, et cætera sacramenta administrat parœciæ incolis, sive in ecclesia sive extra eam infirmitatis causa, exceptis dumtaxat emolumentis, quæ ex voluntate testatorum debentur actu præsentibus, ut dicetur cap. XXX, § 7 (2).

CAPUT X.

DE PRÆLATIS CANONICIS.

§ 1. De Episcopo diœcesano canonico.

I. Episcopatus et canonicatus sunt per se incompatibilis, nisi per dispensationem pontificiam vel per consuetudinem immemorabilem præbenda canonicalis mensæ episcopali unita sit (3). In hoc casu Episcopus specialem possessionem, et separatam a possessione episcopatus accipere non tenetur (4).

II. Si Episcopus diebus ferialebus choro intersit, rochetto et mozzetta indutus, assistit in primo stallo chori (5).

Episcopus tamen, etsi canonicus, exemptus est a choro et a peragendis functionibus canonicalibus (6). Si autem choro non

(1) S. C. C. 14 Nov. 1711 et 27 Maij 1713, dub. 1, *Vercellen*. et 8 Jun. 1724, dub. 1 et 2, *Novarten*. apud Zamboni, *Præpositus* § III, n. 21, 34 et 35; *Analecta juris Pont. sér. 9*, fol. 319, XIX.

(2) S. C. C. 15 Mart. 1631, dub. 2, *Viterbien*; 12 Jan. 1760, § 5, *Bar. Cong.* et *Exp.*; 11 Jun. 1774, § 3 et 9 *Laur. Jub.* apud Zamboni tom. 1, *Canonici*, § 1, n. 6, et tom. 4, *Canonici*, § II, et *capitulum eccl.* § III; Scarfantonius lib. 2, tit. X, n. 8-16; Pallottini, *Canonici*, § I, n. 146 et seqq.; Acta S. Sedis, vol. I, fol. 289, vol. XIII, 1880, fol. 102-108.

(3) Thomassinus part. 1, lib. 3, cap. 10, n. VI; Giraldi *Expositio jur. Pontif.* p. 1, sect. 420.

(4) Zypæus juris Pontif. novi lib. 3, de clericis non resident, n. 34.

(5) Vid. *Praxis Pontificalis*, tom. 1, n. 18 et 60, et tom. 2, n. 142.

(6) Scarfantonius lib. 2, tit. IV, n. 14 et 15.